

quàm alias in regno Messiae glorioso delicias, quàm quales Chiliaestæ hodieque somniant, expectarunt,

XII. Cum Chiliasmus recentior omnibus singulisque articulis XVII. Aug. Conf. verbis è diametro sit adversus, utpote quo docetur, Christum non apparituum in consummatione mundi ad judicandum, sed mille ante annis, nec mortuos omnes resuscitaturum, sed pios tantum & ex impiis sceleratiores, nec piis & electis daturum vitam æternam, sed temporalem, ex quâ ad æternam post mille annos transaturi sint, nec impios homines ac Diabolos condemnaturum, ut sine fine crucientur, sed illos juxta æternum Evangelium post æternitates æternitatum ex cruciatibus istis liberaturum, inque pristinum primumque felicitatis statum reducturum esse, quomodo ullâ specie dubitari potest, hunc ipsum chiliasmum in antithesi rejectum esse atque damnatum?

Disp. L. & Ultima.

De

Consummatione Mundi.

I.

Probabilius est, conflagrationem universi judicium extremum secuturam esse, quam antecessuram; nec contrarium Ap. XX. II. dicitur, nisi & mortuorum resuscitationem, v. 12. eandem sequi velimus, quod absurdum.

II. Peribit autem mundus secundum substantiam. Luc. XXI. 33.

III. Cum omnia corpora cœlestia, Deut. IV. 19. unâ cum orbe terreno, Psalm. CXV. 16. hominis causâ condita sint, non solam terram, sed & cœlum universum periturum esse igne ultrò intelligitur. II. Petr. III. 7.

IV. Cum Apologia Aug. Conf. inquit: *naturam senescere & fieri paulatim deteriores*, de morum corruptione in homine depravato id intelligendum est; nec enim natura ipsa senescit, nec naturæ corruptum magis quam antehac statum quædam, quæ in variis orbis partibus contingere, mutationes arguunt. Vix enim supernaturali non naturali interiturus est mundus.

V. Perabsurda & in DEI potentiam iniqua Thomæ Burnetii opinio est, etiam mundi consummationem ad naturæ leges exigens & conflagrationi ejusdem longum temporis spatium concedens.

VI. Cum in descriptione ultimorum DEI operum, quæ in conjunctione impiorum in stagnum ignis, Ap. XX. 15. & introductione piorum in æterna gaudia, Apoc. XXII. 5. consistunt, nihil amplius supersit Christo agendum, I. Cor. XV. 24. sed omnis prophetia, tanquam jam penitus impleta, finem assecuta sit, quippe cui addi nihil & nihil demi amplius queat, Ap. XXII. 18. omneque hominum genus in fine omnium rerum sit vel in civitate sanctâ, vel